

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae De Certitudine Morali Quam habere  
debet Confessarius de dispositione Poenitentis, ut eum  
sepositâ justâ necessitate licet absolvat**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1685?]**

Conclusio Tertia. Vt Confessarius sine necessitate licet absolvat  
Poenitentes; non sufficit quod ipsi sit minus probabile, aut atque probabile  
esse dispositos quam indispositos.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951917-8**

de dispositione , eos absolvat in necessitate iusta ; vel si contrà suam conscientiam , aut ex ignorantia officii sui absolvat sine necessitate . Dum ergò hic quærimus , an aliquam certitudinem , & qualem , Confessarius habere debeat de dispositione Pœnitentium , intelligendum est , non ut validè , sed ut licite eos absolvat .

## C O N C L U S I O S E C U N D A .

*Vt Confessarius Pœnitentem licite absolvat extrà necessitatem , non sufficit quodlibet dubium Confessarii de Pœnitentis dispositione .*

**S**i quodlibet dubium , etiam infrà probabilitatem , sufficeret , ut Confessarius confitentes extrà necessitatem licite absolveret ( ut alias probationes in sequentibus Conclusionibus subjungendas omittamus ) consectorium foret ; Confessarium sine necessitate licite absolvere omnes illos dubiè dispositos , quos in necessitate licite absolvit . Ex.gr. Confessarium nullâ necessitate urgente licite absolvere dubiè dispositos quoscumque , quos licite absolvit in bello , imminentे jam prælio , aut in ægritudine summè periculosa , ex.gr. sœvæ alicujus pestis , vel etiam quacumque ex causa jamjam exspiraturos : quod consectorium adeò manifestè absurdum est , ut à nemine deinceps admittendum credamus . Facebat ergò hoc generale axioma , non ita pridem contrà Methodi doctrinam allegatum , Pœnitens habet jus ad Absolutionem , nisi constet de ejus indisposito . Idem est judicium de aliis ejusdem farinæ . Mirum equidem , cum nulli , ut credimus , consectorium jam ante dictum deinceps , saltem in Belgio , admirtere auderent , reperiri tamen & verosimiliter non paucos , qui Absolutionem eadem facilitate , quantum nimirum est ex parte dispositio Pœnitentis , impendunt extrà necessitatem , perinde , ac in necessitate ; quandoquidem confessos passim omnes illicè absolvant , nullumque sine Absolutione dimitrant .

## C O N C L U S I O T E R T I A .

*Vt Confessarius sine necessitate licite absolvat Pœnitentes ; non sufficit quod ipsi sit minus probabile , aut aquè probabile esse dispositos quam indispositos .*

**U**t alicui propositioni assentiamur ; necessum est , ut consideratis omnibus quæ tam pro veritate quam pro falsitate ejus novimus , propter illa determinemur , ut propositionem istam potius veram , quam falsam esse judicemus . Hinc consectorium est ; nunquam nos assentiri propositioni quæ nobis est minus probabilis , quam ejus contradictoria ; & similiter numquam assentiri propositioni quæ nobis est aquè probabilis ac ipsius contradictoria : Neutro siquidem casu possimus ab iis , que tam pro veritate quam pro falsitate novimus , determinari ut potius veram quam falsam judicemus : Nam in priori casu pro falsitate plura quam pro veritate habemus , in posteriori , aque multa . Impossibile proindè est , ut Confessarius confitentes judicet esse rectè dispositos ; si istud sit ipsi minus probabile , vel solummodo aque probabile , quam quod sit indisposito . Jam verò , uti nos existimamus , in ipsum lumen rationis impingit ; dicere quod sine illa necessitate licite absolvas eos , quos tu ipse nequis judicare esse dispositos : quod si hac in re necdum nobis consentias , paulisper suspende dissensum , donec legeris Conclusionem sequentem in qua , tum quæ in hac , tum quæ in præcedenti Conclusione dicta sunt , latius probabimus , ostendendo quod sine omni necessitate illicitè Confessarius absolvat eos , quos probabiliter censet indispositos , sed probabilius astimat esse dispositos .